



~~SW~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-26.

SIGNAT. ~~1515 CCCXIII.~~

Stückzettel erled.  
11. XII. 1944.

DISPUTATIO XIV.

ETHICA

89

*De*

**TOLE RANTIA,  
MOLLITIE, MISERI-  
CORDIA & VERECUNDIA.**

*Quam*

DEO TRIUNO ANNUENTE

In Inclyta & celeberrima Academia VVittebergensi,

*PRÆSIDE*

*Clarissimo & Excellentissimo Philosopho*

**Dn. IACOBO MARTINI, HALB:  
Logices & Pract: Philosoph. Pro-  
fessore publ.**

*Proponit & defendendam suscipit*

**PETRUS COLEMANNUS**

*Stetino Pomeranus.*

*Addiem 22. Octob. Horis Locog̃ solitis.*

*VVITTEBERGÆ,*

*E Typographeo JOHAN. GORMANNI.*

*ANNO M. DC. XIV.*

us, qui  
tingua:  
hematu  
) in en  
Per Con.  
Casti.





## DISPUTATIO XIV.

### Continuatio.

**S**ufficienter, ut opinor, de *Continentia & Incontinentia* disputatione proximè præcedente actum est: reliquum nunc esse videtur, ut accensum faciamus ad *Tolerantiam*, & quæ huic in excessu opponitur *Mollitatem, Misericordiam quoq; & Verecundiam*.

### Thesis I.

**T**olerantia, græcis *ταξιερία* dicta, est proba affectio, quâ homo dolores & molestias, quas honestè & utiliter depellere non potest, constanti & invicto animo perfert.

*Lib. 7. Ethic. Nicom. c. 10.*

II.

Definitio constat genere & differentiâ: Genere docemur Tolerantiam virtutem non esse.

III.

Quod verò, ut rectè intelligatur, tenendum, Tolerantiam aliquando esse eandem cum patientiâ, & suo modo cum Fortitudine: Aliquando verò esse habitum seu affectionem, quo bonum in mediis doloribus eligimus, atq; ita à Patientiâ & Fortitudine distinguitur.

IV.

In Patiente enim & Forti affectus dolorum sunt domiti, & subjecti rationi: At verò in Tolerante dolores adhuc devicti non sunt.

*s. Hoc*

V.

Hoc igitur modo quando Tolerantia accipitur, eam cum Philosopho virtutem negamus; quod virtus cum affectibus immodicis non consistat: Tolerans verò nimis affectibus urgeatur, & prematur. *Arist. lib. 9. Ethic. Nicom. c, 2.*

V I.

Adde, quod virtus eligat bonum hilariter, facile, prompte, & expeditè; Tolerans verò eligit quidem bonum rationis: sed cum pugnâ affectuum, rectæ rationi resistentium.

V II.

Differentia continet objectum Tolerantiae, quod dolores constituunt, *I IX.*

Nam tametsi & continentem circa dolores aliquo modo versari non planè inficiemur, sit tamen illud impropiè: cum magis in doloribus superandis quam perferendis consistat: Unde etiam Continentia magis quam Tolerantia est expertenda.

I X.

Ubi tamen tenendum venit, quod ille non sit maximopè reprehendendus, qui magnis & vehementibus doloribus, quibus aliquandiu fortiter & viriliter resistit, tandem vincitur.

X.

Tolerantia enim mediocres dolores toleranter fert, à maximis autem vinci poscit.

X I.

Si verò levissimi fuerint, veluti si quis inter ambulandum pallium dilapsum tollere gravabitur, ne quam tollendo sibi creet molestiam; Si noctem unam sine lecternijs jacere recusaverit, mollem omni jure dicemus.

X II.

His ita explicatis, perfectius meliusq; videre possumus, quid inter Tolerantiam & Fortitudinem discriminis sit.

X III.

Tale autem est illud, quale fuit inter Continentiam & Temperantiam: Fortitudo enim est habitus perfectus; Et ille, in quo hujus virtutis dignitas resulget, nullam luctam affectuum cum ratione experitur; sed ex habitu & constanter facit, quod recta ratio

ratio præscribit. Tolerantia verò est habitus imperfectus, ac prò-  
indè eâ prædictus, frequentissimè appetitus & rationis luctam per-  
sentiscit.

XIV.

Tolerantiam admirandam in Socrate fuisse accepimus; Qui  
aliquando interrogatus, quare præter morosissimam suam Xan-  
tippen aleret adhuc alteram conjugem non minus difficilem, &  
neutram dimitteret; respondit, se ex his privatim discere patien-  
tiam, quâ in publico uteretur.

XV.

Sic qui morbum perfert, nec animum despondet, tolerans  
dicitur.

XVI.

Tolerantem item dicimus illum, qui exilium, quamvis sum-  
mâ cum molestiâ conjunctum, honestè tamen perfert.

XVII.

Diximus in excessu huic semivirtuti opponi Mollitem. De  
eo enim extremo, quod hic in defectu delinquit, cum rarissimè  
inter mortales inveniatur, nihil habet Philosophus: propriè ta-  
men ille, qui ita à natura est affectus, dici potest ἄλυπος.

XIX.

Est autem Mollities, Græcis μαλακία appellata, improba  
affection, quâ homo nullos dolores aut molestias, vel maximè ho-  
nestatis gratiâ sustinere potest: sed ab omnibus etiam levibus de-  
loribus & molestiis vincitur.

XIX.

Observandum hoc loco duplē esse Mollitem: Unam  
voluntariam, quam quisq; suâ culpâ & vicio suo sibi accersit; Al-  
teram non planè voluntariam, quæ vel à natura, vel ab ætate, vel  
à sexu, vel à morbo proficiuntur.

XX.

Mollities etiam competit istis, qui ludis & jocis nimium  
dediti labores fugiunt, & tantum congressus ocio destinatos se-  
stantur: Quia molles nihil aliud est, quam fuga quædam labo-  
rum, dolorum & molestiarum: Ludus autem idem fere est, cùm  
sit requies à laboribus: Ac proinde, qui ludis nimium delectan-  
tur, haud immerito molles dicuntur.

21. Mise-

XXI.

Misericordia porrò est affectus animi, nempe dolor & tristitia, ex adversis rebus alterius, ab impulsu & instinctu naturae initium ducens.

XXII.

Virtus igitur non est Misericordia; sed eam Aristoteles recte inter affectos animi collocavit.

Lib. 2. Rhetor. c. 8.

XXIII.

Cicero, Stoicos secutus, docuit Misericordiam esse affectionem & malam (Tusc. 4.) sed in oratione pro Q. Ligario, cum de Cæsar is laude diceret, virtutem appellat. Augustinus etiam & Lactantius Stoicos hoc nomine reprehendunt.

Videatur Augustin. lib. 9. de Civit. Dei. cap. 5.

Lactant. lib. 5. divin. instit. cap. 14.

XXIV.

Omnino affectus bonus & laudabilis est Misericordia: Quia dolere ob res adversas alterius, bonum est: Virtus tamen esse non potest, quam diu ex solo naturae impulso & motu existit ac surgit.

XXV.

Stoici verò Misericordiam malum affectum putarunt esse: Quia opinabantur, omnes animæ perturbationes esse nimias & immodicas, proindeq; rectæ rationi inimicas & adversas.

XXVI.

Alio modo misericordia accipitur, ut est vis & voluntas subveniendi inopiae & indigentiae alterius, studio & gratia honestatis.

XXVII.

Est enim actus rectæ rationi consentaneus, dolere & tristari rebus adversis alterius, & ejus egestatem & inopiam sublevare; dummodo ex verâ animi electione fiat.

XXIX.

Atq; hoc modo acceptam Misericordiam quidam virtutem specialem, & à cæteris distinctam virtutibus statuunt: Alij eandem virtutem, quæ charitas est, faciunt.

29. Cum

## XXIX.

Cum affectu hoc pugnant in excessu 1. Crudelitas, seviens in innocentes. 2. Nimia iracundia. 3. Cupiditas vindictæ. 4. ὀπίχαιρεναία, quæ luctatur in calamitate bonorum. 5. Invidia & livor, indulgens odio, dolensq; alterum crescere & magnificeri, nec non cupiens eum laedere, removere vel tollere: Non quia nos læsit; sed tantum quia dolemus, eum nobis antecellere, & nos inferiores duci.

## XXX.

In defectu hic peccant 1. Levitas, negligens etiam veras & atroces injurias. 2. Indulgentia parentum vel magistratum, conniventium ad delicia enormia. 3. Lentitas, nullos habens excitatos motus, non irascens turpitudini & sceleribus.

## XXXI.

Porrò de Verecundia quoq; quæritur, an virtus sit? Aristoteles duobus in locis (a) id negat. Alio verò loco id affirmare (b) videtur. Ait enim esse quandam Fortitudinem, quæ metu ignominiae, aut studio honoris, aut turpitudinis evitandi gratiâ pericula subit.

(a) Lib. 4. Eth. Nicom. cap. ult. & lib. 2. cap. 7. Quod ipsum quoq;  
Thomas tradidit p. 3. q. 85. art. 1. ad. 2. & 2. 2. q. 144. art. 1. (b)  
lib. 3. Eth. Nicom. cap. 8.

## XXXII.

Notetur ergò Verecundiam interdum affectum esse animi, qui est metus ignominiae & dedecoris ob factum, quod re ipsa, vel saltem opinione hominum turpe judicatur. Ut si vir in foro comedetur, aut quid aliud, quod civis dignitatem dedeceret, publicè faceret..

## XXXIII.

Hoc modo Verecundia sumta, ex naturæ impulso existit, proindeq; virtus non est, tametsi bonus & laudabilis affectus sit.

## XXXIV.

Alio modo Verecundia est actus voluntatis, quo quis sponte & voluntariè timet ignominiam ob turpe factum.

## XXXV.

Neq; hoc modo Verecundia Virtus erit 1. Quia virtus turpe factum non admittit: At Verecundia est una cum turpi facto.  
2. Quia



2. Quia Virtus bonum eligit studio & causa honestatis; Et Verecundia aliquando quidem sese à turpi continet, sed metu probri & dedecoris. 3. Quia Virtus non solum hominem à turpi avocat & avertit; sed etiam ad bonum præstandum impellit ac moveret; At Verecundia solum est veluti frenum adhibitum, quo homines ab turpi abducuntur.

### XXXVI.

Cum affectu hoc pugnat in excessu Impudentia, quæ est contemnere Dei & omnium hominum judicia, & sine respectu judicij, conscientiae propriæ, & aliorum sanctorum, omnibus cupiditatibus frenos laxare.

### XXXVII.

In defectu est stupor diωπτία, nimia & vitiosa verecundia, de qua Plutarchi libellum fol. 402. Moralium studiosi legant.

### XXXIX.

Quæritur ultimo loco, an indignatio, quæ zelus dicitur, sit virtus.

### XXXIX.

Aristoteles enim affectum dicit animi, qui est dolor ex eo, quod aliis res suas vel administret indignè, vel ex eo, quod rebus bonis potiatur indignus.

Aristot. lib. 2. Rhet. c. 9.

### XL.

Virtus igitur non est: Quoniam ex motu & impulsu naturæ manat & surgit: qui si nimius ac immodicus fuerit, virtute est temperandus.

### XLI.

Est tamen affectus, ex objecto & materia bonus & laudabilis; Idem penitus dicendum est de affectu animi, qui dicitur æmulatio virtutis,

F I N I S.

xponen  
ecaudia  
s, meretq;  
ceptui ca  
undorumq;  
vocantes, q  
quibus se  
gutiar sa  
errantes,  
r nomen,  
im in cœ  
, & cur  
ectis nos  
semper  
Fili san  
primum  
Trinitate  
ratis





Ung. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vv. 70]

ULB Halle  
002 673 452


3



5b.

VD 17





# FarbKarte #13

The image shows a vertical ruler scale chart. At the top, the word "Inches" is written vertically, followed by a scale from 1 to 8 with major tick marks every 1 unit and minor tick marks every 1/4 unit. Below this, the word "Centimetres" is written vertically, followed by a scale from 1 to 19 with major tick marks every 1 cm and minor tick marks every 0.25 cm. The entire chart is labeled "FARBKARTE #13" vertically along the left side.

ITATIO XIV.  
THICA 89  
*De*  
RANTIA,  
IE, MISERI-  
VERECUNDIA.

Quam

# LINO ANNUNTE

ma Academia VVittebergensi,

# RÆSIDE

# Excellētissimo Philosopho

# MARTINI, HALB;

tract: Philosoph. Pro-  
fore publ.

*defendendam suscipit*

# COLEMANNUS

# Pomeranus.

*& ob. Horis Locog̃ solitis.*

# REBBE RGA,

# JOHAN. GORMANNI.

M. DC. XIV.